

Somnium vindiciani, sive desiderata medicinae / [Georg Hieronymus Welsch].

Contributors

Welsch, Georg Hieronymus, 1624-1677

Publication/Creation

Augustae Vindelicorum : Impensis Theophili Göbelii, typis Joannis Schönigkii, 1676.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g9qeh5z5>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Handwritten text on a palm-leaf manuscript strip, oriented vertically. The text is written in a dark ink and appears to be in a South Asian script, likely Tamil. The visible characters include:

சென்
சொ
வ
ப







54700/B

A.A. 1810

WELSCH

B 46


D46 +
44 pp


2 leaves

XVI

~~B 46~~

Acc. J.G.





51393

Georgij Hieronymi Velschij
**SOMNIUM
VINDICIANI.**

Sive
Desiderata Medicinæ.

—13*****—

AUGUSTÆ VINDELICORUM.

Impensis Theophili Göbelij, Typis Joannis Schönigkij.

ANNO M, DC. LXXVI,



SOMNIUM

Ovidius III. Fastor. d. 14.

*Utile sit faustumque precor, quod imagine Somni
Vidimus, an Somno clarius illud erat?*



15

SOMNIUM VINDICIANI.

Qui aliorum dicta & facta obliquiora mordaci quodam Sermonis genere insectantur, Satyram dicuntur scribere. Rem sanè quorundam iudicio intempestivam & iniquam, quod plerumque intra verborum honestatem & adfectuum temperiem vix se contineant, qui ad scribendum animum applicare solent. Sunt etiam qui ob ipsum nomen silvestrem aliquem Deum in illa detestentur, cuius humano capiti Poëtarum licentia cornua addidit, & reliquo corpori caprillum femur. Certè facilius est nobis omnibus aliena carpere, quam nostra emendare. Id vitij etiam Sapientiorum pectora interdum laceffit, maiorum autem penitissimè occupat. Nemo tamen iure Medicos reprehenderit, cum ægrotis absinthia miscemus & amaros succos alios. Est enim quoddam morbi genus, quod dulcibus nec mitigatur, nec depellitur, ingratis autem promptissimè cedit. Evenit tamen præterea ut nonnunquam dandum sit quidpiam delicatiorum pertinaciæ, omnia minus jucunda

da cum perniciē sua averſanti. Tunc enim mellis nonnihil, aut ex arundine peregrina excocti ſalis immiſcendum eſt, ut decipiatur palatum ſuavioribus tantum adſuetum. Eadem mundi noſtri conditio eſt, qui poſtquam diu jam delirat, nunc etiam vel ipſo ſenio graviſſimè ægrotat. Fruſtra iccirco illi, quæ placeant, adhibentur, imò temerè, cū enim hucufque ex inveterata lue convaleſcere nequiverit, jam dudum extremum ab igne ſolatum exſpectat. Stultitia igitur ſubinde ejus ludibrium meretur, malitia objurgationem: utrumque autem vix aptiorem modum admittit quam fabularum. Nam & olim P. R. malefacta ſua ſæpius in ſcena agnovit, quæque domi clam patraverat, publicis mimis atque inter Attellanas increpita non adeò moleſtè tulit, neque in illos inſenſum animum exacuit, quibus iniquæ Urbis impatientibus difficile erat Satyram non ſcribere, aut quantumvis naturā negante, verſum qualemcunque indignatio faciebat, ut nemo malignus interpres jocosum ſimplicitati acceſſerit, quicumque de ſe ipſo benè ſentiret. Nec tamen propterea malam linguam verebuntur, qui ridiculam facere noluerint, ut togam ſaltantibus perſonis inducant, quia ſe extra homines non quærent, quibus innatum fuerit ſapientiæ fermentum, quo nemo unquam ridendo verum dicere vetabitur. Hæc olim occaſione rei præſentis
captâ

captâ cum dixisset plerisque verbis non suis, Q. Libe-
rius amicus noster, mox alter, qui fortè aderat, Septi-
mius Jocundus: Quin, ait, multa hoc Satyrarum no-
mine hæctenus odiosè traducta sunt, quæ tamen non
aliter, quam piæ quædam salubresque exhortationes
habendæ fuerant, quales olim Galeni nomine, quis-
quis fuerit, ad artes excolendas tironibus, & Demo-
nico suo Isocrates inscripserat. Iniquius sanè acce-
ptos Menippus non magis, quam Philocrides curat.
Neque nos adducta quorundam supercilia, & seve-
ros sermonum amœnorum censores morabimur,
cùm Satyram non scribamus, sed jucundiores tan-
tum narrationes, & Milesias etiam serias probemus.
Nec plura addiderat, cùm ad me attentius expectan-
tem quorsum hæc dicerentur conversus. Confide-
amus, ait, parumper, & Vindiciano nostro, ex con-
dicto recitaturus auscultemus: simulque nos in por-
ticum, quam horto proximam habebat, aulæis, si-
gnisque vetustis ornatissimam, deduxit. Deambu-
lando fessis id facile persuaderi potuit, ut mox sedili-
bus dispositis innixi quiesceremus, cùmque nos si-
lentio adnuere Vindicianus intellexisset, hunc in
modum loquutus est. Quandoquidem Somnia
mea, amici suavissimi, narrare jubetis, accipite: Jam
Sol Oceano propior dubium tempus fecerat, quod
nec tenebras dicere posses, nec lucem, cùm multa

Galenī lectione fatigatus inter libros confedi. Com-
modum acciderat, ut febrīum Naturam obscuriorem
animo pervidere conanti fores increpuisse puer nun-
ciaret: Surgenti igitur occurrit quidam habitu, quem
nisi multicolor fuisset, modestum atque liberalem
appellares. Faciem enim per vesperam satis nōsse
non licuit. Non minus tamen ancipitem, quam
ipsum crepusculum subinde observabam. Gressus
autem tam celeres conglomeraverat, ut exitum mihi
paraturo, jam superatis trium cochlearum gradibus,
in supremo cœnaculo ad ipsum limen obvius adsi-
steret, manuque porrectâ nonnihil novo obtutu hæ-
sitantem, hunc in modum prior compellaret: Quis
sim & quid te velim paucis eloquar. Morpheum
vocant, qui in bicipiti Parnasso somniant; In medi-
corum numerum olim receptus ex veteri Ægyptio-
rum instituto nec oculis quidem, nec alij corporis
particulæ, sed soli animo mederi consueveram, si
quando curarum aut pondere pressus aut acrimo-
nia exulceratus ægrotaret. Hoc mihi cum Lyæo
cōmune aliquandiu munus obtigerat, sed postquam
ille etiam pauperibus cornua addere didicisset, &
plerisque imberbi, sed loquacissima mollitie gratior
videretur, haut parum arrogantior id agere instituit,
ut sicut olim omnia Julio & Cæsare Consulibus, ita
deinceps se & Bibulo fieri dicerentur. Quod ego
ani-

animadvertens, non tantum clientes illius miseris modis mulctare coepi, cibos in ventre natantes aut tumultuario opere confundens, aut venarum angustis cum cura impingens, sed aliud præterea consilium ex tempore capiens, summam Medicos nominandi potestatem sæpius usurpavi, ita ut plurimos, nonnisi per somnium prodiisse orbis mirari non debeat. Hos autem quam primum emiseram nunquam postea benignior respexi, sed odiis, invidia, acerrimo habendi amore, & calumniandi insidiandi-que studio confectos, & quotidianâ crapulâ pallentes, somno & quiete omni, nisi cum melioribus literis quandoque opus esset, in perpetuum prohibui. Liquorem præterea immortalem & immutabilem excogitavi, circa quem illi, quibus cum reliquis insanire non erat integrum, sapientissimè vigilarent, ac tandem opus desperare cogerentur, nisi cum biliosis quibusdam meræ ærugini æternitatem illam conferre, maluissent. Id instigante, quem dixeram Lyæo, nonnulli in campis Elysiis ingentibus querelis distulerunt, quò jam accitus propero. Nam hac ipsa de causa, multa præterea alia edicentur, quæ inter artis opera emendanda aut tanquam deperdita postliminio reducenda & restituenda videbuntur. Quibus iccirco penitus concipiendis te comitem optabam, istarum rerum sat scio, percuriosum. Pluraque additurus

diturus erat, nisi subito adnuissem, nam interpellans,
 Quin igitur inius, inquam. Sed qua viâ, aut quo-
 modo censes hoc corpus adlevari posse, quandoqui-
 dem neque Theseum me neque Orpheum profiteri
 ausim, nec cantu scilicet & fidium scientiâ singula-
 rem, Eurydicē quæsiturus, quam nullam unquam ha-
 buerim neq; Pirithoi alicujus amicitia jactabundum.
 Huic respondit ille, abunde prospectum fuerit, si vultui
 pallorem & reliquæ moli levitatem atque exilitatem
 quandam induxero, ut umbram aliquam quam pro-
 xime retuleris. Simulque è pera cuminum eduxit,
 cum radice quam ipse Deorum cibum appellabat:
 Cui vicissim: Pulcrè sanè regessi, nam de cumino
 satis memini adsectatores Porcij Latronis Magistri
 similitudinem coloris studiis contracti imitatos, &
 Julium Vindicem adfertorem libertatis à Nerone ca-
 ptatione testamenti sic lenocinatum. Bulbis autem
 nolim in Græcam aliquam cucurbitam transforma-
 ri. Et nôsti de cætero, nostri similes vulgo non nisi
 umbraticos existimari. Nullum, inquit ille, pericu-
 lum, qui radicem hanc Cyllenio distribuyente accepi.
 Ut vides, moly est, idipsum quod superi sic vocant.
 Dum igitur in viam nos conjicimus, nonnihil de
 utroque subinde degustabam, & jam colore omni
 ex facie evanescente agillimus mihi levissimusque
 fieri

fieri incipiebam, nec multum progressi sumus, cum proximum nemus emensi ad ripam inferi fluminis constitimus, & Charontem animas raticula trajicientem conspeximus. Atque mox ego: hui, inquam, tam propè à mœnibus nostris Lethen habemus? imò vero respondit ille, hic ipse amnis est, quem vides, & qui urbem vestram medius subluit, quo potato, nonnulli omnium tam facile obliviscuntur, quorum perpetua memoria mansisse debuit, rebus pariter publicis privatisque profutura. Nec mora igitur ulla, cum in adversum litus devecti sumus, quamquam soluto etiam naulo portitor quædam mussitaret, quorum nos tamen nulla cura auscultandi tetigerat. Planities insignis latissimis spatiis diffusa primam se ad spectui offerebat, quam undiquaque vivæ sepes ex acantho munierant. Nam id commodius visum quam mœnibus aut macerie incingere. Portæ illic præter eburneam & corneam, Æneæ quondam visas etiam tertia pereleganti artificio meris testudinum terrestrium putaminibus exstructa à Carvillio Pollio- ne, cujus hoc primum inventum fuerat laminis illarum sectilibus ligna & parietes vestire. Id ipsi ut faceret S. P. Q. inferorum beatiorum injunxerat, ut haberet, quod per otium ageret, occulto tamen significatus argumento, atque per istam intromissi in atrium penetravimus, cum ego ad Morpheum conver-
B
sus,

fus, quid sibi id vellet? sciscitatus sum Virgilio utique incognitum. Cui ille subridens: nimis ajebat ineptus sis, si omnia ab illo lustrata aut depicta credideris. Multa enim aliis describenda haut invitus reliquit, & quotidie plures substructiones novæ perficiuntur veteresque emendantur ac exornantur. Campi ipsi quos vides arcolis discriminati recentiori opere, ut singulis suæ assignari potuerint, aliæ quidem Philosophis, aliæ Medicis, aliæ denique rerum humanarum divinarumque scientibus distributæ atque adscriptæ sunt. Simulque cum dicto me manu in proximam deduxit, in qua senex quidam caperata fronte, temporis fallendo, Britannicas miræ formæ, varique coloris, ruscis inferebat, novis hoc quoque primumque ab ipso excogitatis artibus, quibus perfacile erat, & nomen viri reminisci, & merita agnoscere, causamque præbebat, ut denuo Morpheum verbis sollicitarem: per fidem, inquam, tuam etiam heic anthomania laboratur? quid vero asphodelis actum, quos Menippus apud Lucianum commemorabat? nam heic quidem nulli visuntur. Imò verò, respondit, ne nescias, postquam hæc veluti dispartitio institui cœpit, poscentibus quidam Chemiæ deditis, omnes eruti, aliisque pulcrioribus & utilioribus permutati sunt, ut si quandoque illos speratus auri proventus deficeret, decoctis patrimoniis haberent, unde viverent, & frustaneos

straneos labores solarentur. Neque miraberis hunc senecionem splendidiore loco dignissimum, unà cum aliis quibusdam heic tamen morari. Nam quia plerique in vita multa scribere solent, quæ deinde in controversiam adducta in tribunalibus istis examinantur, & deciduntur, nuperrimè SCto decretum est, ut nemo illorum, antequam in cœlum abeat, heic causam dicere recuset, aut sicubi restiterit, exploratoribus per vias dispositis interceptus, vel invitatus huc retrahatur. Hac igitur peracta ille quidem rectà ad superos Pegaso transvectus ibit, locum Perseo proximum occupaturus, quod plurimos Archiatrorum errores, non secus ac ille Gorgonem debellâisset, reliqui verò plerique ad austrinum polum contendunt, quod nusquam plura inania sint novis sideribus aptiora, quæ viam terras incognitas olim quæsituris commonstrent, lumenque navigantibus adluceant. Quidam tamen etiam in Scorpij caudam, velut aculei, alij in chelas cancrorum, aut capri cornua inferentur, pauciores in cæteris signiferi partibus fulgere incipient, aut ophiucho, lepori, lyræ, & constellationibus ante notis adstituentur, quæ omnia cùm acciderint, clarius cognosces. Nec enim te latet, fuisse, qui tot è terris in cœlum milliaria computârint, ut tribus añorum millibus suscepto itinere, ac octo quotidie confectis, vix semidia metrum attingere liceat.

Tardius igitur illuc appellere necesse est, & serius inde ad nos nuncij revertentur. Sed nunc confessui ipsi nos inferamus, cujus gratia huc tetendimus. Tres quatuorve passus vix progressi eramus, cum nobis obviam venit palliatus quidam, & Græco more prolixissime barbatus & comatus, quem alius comitabatur, parum dissimilis, nisi quod propius aliquem ex Italia advenam habitu moribusque referret: Conversus igitur ad Morpheum: Nisi me omnia fallunt, aiebam, hic Stagirita est, adeo vultus, frons, oculi, cæfaries, & tegmen quoque capitis, omnia marmori conveniunt, quod olim apud virum doctissimum & amicissimum sæpius contemplatus sum, sed alterum non memini videre unquam. Cui respondit ille: Rectè conjicis, hic ipse est philosophorum princeps, & quamvis ringentibus omnibus in cathedris tamen vel absens etiam regnabit, nec loco pelletur Stoicorum morositate, aut scepticorum ambivius, & incomprehensibilitate, quod quidam tamen fieri posse olim credebant, nonnulli præterea tentare nuper ausi sunt. Quem verò Comitem secum trahit Theodorus est Interpres, Gazæ cognomen invidiosum præferens. Nec enim unquam a latere illius abscedit, quia Latine nesciat, compellantibus alter ut respondeat, necesse est. Perquam id mihi volupe, regerebam, virum conspiciere, quem de Græcorum conversionibus tantoperè

toperè meritum omnes jure suspiciunt. Sed quor-
sum tendunt? inquam. Id juxta tecum, aiebat, igno-
ro. Subsistamus iccirco & videamus. Rectè se con-
ferebant ad senem, quem modò dixeram, eumque
prior Aristoteles manu prehensum blandissima ora-
tione permulsit, Græca quidem, sed quæ sensum
istum ferè exprimeret: Multum quidem cum alios
eruditorum tibi, amicorum fidissime, nemo tamen
me ipso plura debere profiteor. Tam solidè, tam
acriter, tamque ingeniosè nostras de usu partium,
inprimis cordis principatu, curas, primus ferè intel-
lexisti, saltem adseruisti, Galeno cum novationibus
suis & Atticis lenociniis, ambitionis & mendacij lu-
culentissimè convicto. Nosti id tamen multis displicuisse,
remque propterea ad Æsculapij tribunal à Rha-
damanto, quem compellaveras, devolutam. Quod
tamen parvi faciendum existimo, liquidioris causæ
confidentiâ fretus. Nolui tamen te in scio solus
comparere, ideoque ut Comitem te atque hyperaspi-
sten deducam, venisse me vides. Hæc illo profante,
adstabat alter subinde niectans, frontemque adducens,
& nares crispans, scapulasque comovens. Cum ego
rursus ad Morpheum: apparet, inquam, istum mi-
nus hac salutatione adfici, tam mirè gesticulatur,
vultuque & reliquo corpore animum ostendit. Verè
respondit, nam quia multa in versionibus suis displic-
cebant,

cebant, ægrè se reprehensum patitur, & injurias interpretatur, nec sine bile quæcunque minus grata in se acrius dicta reminiscitur. Atqui agebam, poterat interea Theophrasto, aliive suorum civium adesse, quibus non minorem quondam operam, quam Aristoteli impendit. Nec plura licebat, Morpheus tamen properans: Parum illi, agebat, cum Theophrasto convenit, quia multa illius pessimè interpretatus est, quorum utrumque poenitet & piget, inprimis illud de grano Gnidio, *πρὸς κοιτίας λύσιν*, obvio perpetuò exprobrare solet, quod contra alvi solutionem reddidisset, cùm tamen purgandi vim in illo manifestam, satisque validam, etiam pueri non ignorent. Atque sic præcedentes nos quoque sequuti, ad ipsum confessum delati sumus. Campus erat latissimus, miraque florum & graminum varietate pictus, in cujus medio pulcerrimum ambulacrum exstructum patebat, quo P. C. confederant. Et principem quidem locum Æsculapius occupabat, qualis à Poëtis describitur, nisi quod facie parumper denigrata esset, & altero crurum claudicaret, quod malum illi ab fulminis adflatu restiterat, quo illum invidiæ stimulis actus Jupiter, non sine luctu iram prementis patris Apollinis percusserat: Et hujus præcipuè causa agrestem nodosumque baculum firmandis gressibus gerebat, quamvis plerique alia significata quæsierint.

Rem

Rem sanè indignam ratus, quamquam satis agnoscerem, studio tamen dissimulans ex Morpheo quærebam: An hic ipse ille Æsculapius esset, quem Medicorum numen appellarent. Sed ille contracta in rugas fronte: Numquid dubitas? ait, simulque faciem avertit, haut obscure succensere se ostendens. At verò ego: Quidni dubitem? aiebam, cum nunc primum eum conspiciam, Vulcano ferè similiorem, quam medentium Imperatori: & saltem ipse sibi distortum femur dirigere debebat, ne alios paris periculi fortunâ absterret. Ad quæ verba vix labris defugientia statim in risum effusissimum prorupit, cuius causam cum noscere percuperem, respondit, se ineptiis meis adigi, quando nullus sanè metus subsit, ut quisquam Medicorum illum prudentia & doctrina, adeoque nec felicitate æquaturus sit. Id ipsi scilicet, addebat, cavent sedulò, & dum sibi mutuò invident, nihil suscipiunt aut peragunt, quod Jupiter, aut quis alius ex universo Deorum cœtu invidere possit, non illo tantum supremo, sed etiam infimo, lemurum, Fanuorum, & Satyrorum, quos nondum cœlo illi alteri dignantur. Cæterum dextrum Æsculapij latus claudēbat Hippocrates, canitiæ, formæque planè eadem venerabilis, qua etiamnum in saxis, picturisque antiquis conspicitur, subsequente longâ Asclepiadarum serie: sinistrum autem Aretæus occupabat,

cupabat, cum reliquis Græcorum, Arabum, & Semi-barbarorum usque ad nostra tempora deductis. At Galeno nondum certus locus assignatus erat: quia se omnibus præferendum contendebat, & à plerisque propterea impugnabatur. Inprimis Aristoteles cum Doctore suo Platone plurima querebantur, quorum nunc satis meminisse non licet. Nec enim ipsi satis concordēs aut unius sententiæ erant. Senex tamen ille veteri Rom. more jussus aliquot pagellas recitabat, quibus judicio reum Galenum stiterat, publicè etiam editas, ut heic repetere nil quidquam attineat. Totidem enim verbis perlegebat intergarrientibus pauca nonnullis, & contra Galenum sua quoque experimenta laudantibus plerisque, inprimis Harvejo cum sectatoribus, cæterisque, quibus subinde ex nostro Orbe uberior novorum copia obtingebat, è quorum numero quidam hepatis tumulos, cordisque inscriptiones triumphales proferebant, non sine risu aliorum, & indignatione, inprimis Riolani, cui tamen contrarius erat Bronzerius, qui hepar viridescens è lampetra extraxerat, & interveniens decrepitus quidam asello vectus, quem quasillis utrimque dependentibus ovis pullisque gallinaceis onustum agebat, tardissimè progrediens. Nec temperare mihi poteram, quin Morpheum sic adloquerer: Hic nempe Silenus illustrium virorum manibus, brutorum mi-
ferri-

ferrimo, coenam Hecates apportat. Atqui æternis tantum animabus has sedes proprias putabam. Imò verò, respondit, falleris, & cave deinceps incautius loquaris. Nam hic quidem Fabricius est ab Aqua pendente denominatus, pullitiem & incubatum patribus ostensurus. Hic verò extremo illius senio honor habetur, ut exercendo corpori liceat quandoque per prata illa vectari, ne pedibus fatisceret, tum quod auritum animal, petulantium auditorum deductio-
ne jam olim in cathedra stetisset, lector scilicet stupi-
dorum auribus dignissimus, quo joco ipse injuriam dissimulans insolentiam excusabat. Dimisso igitur ad pabulum veterino, ova nonnulla nondum penitus exclusa, extenterabat, pullosque dissecabat, quibus hepar omninò flavescens certo argumento existi-
mabat, nullâ ibidem sanguinis purpurâ chylum tingi. Quod adeò tamen lentè perficiebat, ut nos Junoniis Sacris interesse crederemus. At circa Æsculapium ingens interea vespertilionum numerus nulla reve-
rentia aut metu circumvolabat, quos Morpheus mi-
ranti mihi vespillones interpretabatur: Hi ipsi sunt, aiebat, quos Mnaseas in Cecrope scripsit Apollinem patrem, postquam à Jove vinctus & interfectus esset, extulisse, & qui nunc filio ingentem molestiam cre-
ant, perpetuò vellicantes, propter solutiones quas Marcellus Ictus in controversiam adductas nequid-
quam

quam tamen deciderit, quam ob causam quietem nunquam indulgent. Accesserat interea etiam Helmontius, quem plerique in atrio consistentem, non intro- mittendum censebant, quamvis de Duumviratu suo multa follicaretur, quod conviciandi libidine, nimia- que arrogantia exorbitans, meliora literarum studia, & docentium gymnasia, nimis imprudenter & asperè traduxisset. Nonnulli tamen Chemiæ adfueti parum efficaciter intercedebant, quod Tribunitiâ potestate tum temporis carerent. Id tamen concessum, dum aptior locus illi adsignaretur, liceret proximis alpium cavernis cum Paracelso & reliquis, de artis suæ arcanis propius conferre. Cujus auctor sententiæ præci- pius Hippocrates fuerat, multa de secretis illius reve- lationibus conquestus. Nam serio, aiebat, attestor, quæcunque de curatione pestis, aliisque mihi adscri- ptis protulit, longissimè ab mente scriptisque quon- dam meis dissidere. Equum sanè, nec quidquam famæ meæ à tot sæculis perennanti servandæ magis necessarium contingeret, quam si Scto vestro dæmo- nas illos nominare cogeretur, quorum suggestioni- bus id sibi cognitum licentius adfirmabat, ut, nisi per somnium conficta fateri mallet, citari, atque pro me- ritis puniri queant. Quin ipse, addebat, si tam certò sibi cognita habebat, quibus Peloponnesum olim li- beravimus, aut meliorum quoque conscius erat, cur non

non impediit, quò minus pestis, quam tumulasse gloriabatur, eodem tempore vicissim duos illi filios tumularet: quod tanquam summè memorabile, non nemo versibus illi exprobraverat. Hæc dum peragerentur, haut parum temporis effluxerat: quo interim extremo subsellio defurgens quidam exibat: quod dum me Morpheus mirari animadverteret: Ita hic quidem consuevit, ajebat, nam olim frequenter medio senatu parum decorè patribus oppedere solebat, donec à morum Magistris admonitus eam tamen licentiam obtinuisset, ut quia perpetua ventris inflatione turgeret, quoties libuisset, aut opus foret, expendendis sonis atque odoribus, in literas deinde referendis, id ipsi facere, sed liberiori aëre, & semotis arbitrisliceret. Hunc sequebatur alter vesicam levaturus, ne quod olim Gynæcci reverentiâ, certo exitio, formidârat, denuò rumperetur, omnem lotij abundantiam calumniari solitus, ut calorem quemcunque corporis ex febribus convalescentes. At recitante sene, quendam subinde stomachabundum advertens, ad Morpheum conversus: Numquid, inquam, Grammaticus iste est? qui ad verba quædam exoleta, sed tamen proba sic nauseat? Nequaquam, ait, ille, nôsti enim paucissimos Medicorum, benè loquendi, scribendi quæ artes excolere, sed ventriculi quadam intemperie continuâ tenetur, ab liquore Rulandino

contracta, quem ægrotis vomiturientibus olim integris amphoris divendebat. At Galenus interea tanquam aquam sustinens, non uno vultus colore stabat, modò pallefcens, modò ingenti rubore suffusus, ut solent excaudescences, aut quos gloriolæ suæ imminutæ pudere solet, subinde singultiebat, ut parum abfuerit, quin bilem Eudemi exemplo utrimque rejiceret. Huic autem inprimis favebant gladiati quidam, ut valdè metuerem, ne tandem isthæc recitatio violentum exitum haberet. Morpheum iccirco compellans quærebam: Quid verò isti, siquidem Satellites sunt aut apparitores, aut viatores, ensibus accincti inter Medicos agunt, quibus neque ad conservandam vitam, sanitatemque hominum tuendam, neque interrimendis, si lubeat, ægrotis, ejusmodi instrumentis opus est. Cùm ille; Falleris, dicebat, Nam ille quidem Dioscorides est, quem militem nôsti, reliqui etiam Reges sunt, Gentius Illyricus, Juba Mauritanus, Evax Arabum, & Mithridates Ponticus. Agnosco, inquam, ille tamen alia facie à Sambuco depictus cernitur. Juba autem cur prurientes artus perpetuò scabit? Nam id quidem minimè regium videtur. Mithridati tamen ejusque simpliciori synthesi, Pompejo quondam derisæ, nunc magis fidem habeo, postquam nullo corporis tumore suffusum, quales cæteroquin venena haurientibus familiares, & ex sanguinem potius,

potius, quam lividum, conspicio, cicatrice tantum in pectore manifestâ. Ita est, reponebat Morpheus, Jubbæ tamen molestia hæc ab Euphorbij propiori collectione remansit, antequam contorum & ventriculi hædini excipula inventa essent. Neque austerum Gentij obtutum miraberis; Hunc enim frequenti radicis amarissimæ gustatione contraxit. Postquam deinde senex perorâisset, jussus est Galenus actoribus suis respondere, & defensionem, si quam haberet, necessariam accusationi rependere, ita tamen, ut se ad clepsydram dicturum meminerit, quando diffusissimam illius multiloquentiam jam ante satis nôssent. Is igitur hunc ferè in modum profari instituit: Mirari equidem satis nequeo, P. C. postquam huc perveni, à tot sæculorum effluxu, nunc demum diem mihi apud vos dictum, ac illa objici à quibus nemo Vestrum omnium immunis est. Nam quis opinionum & cogitationum libertatem in philosophia pariter & arte nostra, tanta unquam severitate apud vos criminatus est, aut quis actorem Aristotelem non vicissim eadem licentiâ in jus rapere posset? Neque Tuam, Heraclides, Empiricen, aut Methodicen vestram, Sorani, quamvis à me olim sæpius tactam, heic loci tamen aut damnare aut defendere sategit? Neq; Tibi, Hippocrates, multum decoris additurum est, si patiaris à sene isto infantem te existimari, qui de arte tua,

ipse verba facere nequeas, & philosophi alicujus ore indigeas, cum tamen ipse Medicos omnes philosophos fieri oportere clarissime edixeris. Et quid, per fidem vestram! hoc sibi vult, quod ad Rhadamanti tribunal hæc causa acta perhibeatur, quem nōstis artium scientiarumque Judicem à superis nequaquam constitutum, poenarum tantum modos factis expendere & irrogare. Sed nec ipse dicendi modus Romanæ, nec Atticæ consuetudini conformis est, quo utique idonei testes adduci, rogari, & audiri debuissent. Neque ille qui subscripsisse fingitur, Æbius Bæbius, archivis Vestris unquam præfectus fuit, sed L. quendam Bæbium, vindemiatores Romanâ inscriptione sepultum nōstis, quem utiq; tibi substitui ferre non debes, Actuari, ut cui id muneris ex merito delatum, olim quoque apud Rhacendytam non sine laude in Corcyra gesseras. Quid porro dicam quod libertatem literariam tanto livore odioque in me prosequatur? qua semper quibusvis frui licuit, & nisi tu, pater Æsculapi, prohibeas, in posterum licebit. Quorsum etiam tam rigida morum nostrorum, ipsiusque adeò corporis habitusque censura spectat? quem nemo unquam corrigere, ullavē cura quantumvis valde anxia Naturam evertere licebit? Procerum me capite grandi, cervice validā, tanquam athletam quempiam descripserat crinibus crispis, fusco colore, oculis protube-

tuberantibus, alacrem & ambitiosum. Ac si istis fortuitis rerum momenta verterentur. Quis enim Vestrum Socratem multò deformiorem Zopyro malé ominandi occasionem præbuisse ignorat? qui tamen multò æquiori veriorique sententia Delij Oraculi sapientissimus pronunciatus est. Quæ sanè nî contemptioni addicta scirem, facile præterire poteram. Nunc verò quia quantivis pretij ex facie videri argutabatur, deinceps tamen sapius mendacem, ambitiosum, tumultuantem, famamq; Tuam, ô Hippocrates, colutulantem, subrostrario, columnarioque quocunq; inferiorem calumniabatur, qui usus *πλασματίας* ficticios repererim, Platonica non intellexerim, animam *μερίτην* triplicarim, & quartam præterea excogitaverim, adeoque ex triformi Hecate quadrifidam reddiderim, transitu indecoro in aliud genus facto, temperamentum pro anima venditarim, Epicureismi scilicet reus, & ingentis absurditatis, quod venas in jecinore, arterias in corde, nervos autem in cerebro radicari existimarim, imprimis in lienem, hepatis *ὀμόθρονον* fuerim, & pusionibus bellatulis (sic enim vocat, quos alibi holofericarios & *σφραγιδονυχασγυροποιεῖς*, etiam licentiùs Aristophanis verbo interpolato criminabatur,) *ἑισαγόμενους* tamen tantum & ignobiles Idiotas, ineruditos, tanquam secundum præterea piaculum commissem quod *τὸ ἐπιθυμητικόν* in hepate, *τὸ θυμητικόν* in

in corde, & το λογικόν in cerebro constituerim, audaciæ
 planè Milonianæ reus, cui iratior ipse quoque exitum
 Milonianum imprecabatur, turpitudinem mendacij
 detestatus, majestatem irreverentius læsam conque-
 stus, ut olim gigantum oppugnatione cœlum supe-
 rosque, nostra omnia machinis comparabat Comi-
 cis, mendacij futes, futes, visuq; horridas, audituq;
 streperas appellans, quo tamen ipse dum Architecti
 me filium, tanquam pipulo differens subsannabat,
 suam etiam in scenicis ejusmodi structuris imperiti-
 am, nedum in gravioribus, foricis instar prœdebat:
 Numquid enim putabimus, Naturam architectandi
 artem æmulari debere, cùm ne quidem ista scientia
 Naturam semper imitari discupiat, aut sibi valdè de-
 corum ac utile arbitretur? Sed enim falsitatis ipsum,
 & malevoli animi facillè convincet, quæ tibi, Hip-
 pocrates, impotentiùs objecta video, cùm enim stra-
 mineum te vocasset, ut qui auctorem libri de Natura
 humana pernegaret, agebat me cum illo excrementa
 sanguinis eodem loco censere quo sanguinem, quæ
 tamen sanguini contraria sint. Librum quoq; de ali-
 mento, Idiotæ cujusdam criminabatur, cùm tamen
 plerique eruditiores eum sententiarum gravitate &
 elegantia, genuinum tuum fœtum exosculati sint. In
 quo præcipuè aëris ingressum per os, nares, & arterias
 cutaneas nauseabundus abhorrebat, συνίστην asperæ
 arte-

arteriæ nullam admittens, omnemque partem duplici sanguine nutriri tanquam insigne ^{ἀποπν} rejiciens. Nec verebatur præterea adfirmare, ipsum me in cutem arterias desinere negasse, cum tamen aliis locis dilatatione atque contractione vicissim attrahi pellicule aërem docuerim. Parum utique memor non pauciora mihi posteriorum temporum curiositate & vanitate adscripta, quam Hippocrati. De spiritibus quoque, inprimis Naturali, multum subdubitabat, aërisque concursum, vererem nāniam, ridebat. Quibus pro lubitu confictis & perperam intellectis aut sequius expositis, rem denique ausus est, quam Tibi, Æsculapi, & nobilissimo confessui, nunquam probandam censeo: Rhadamanti nimirum jussu Mercurium petasatum, alatumque quem prius præconis munia obeuntem, & silentium cum caduceo imperantem adduxerat, demum in Parnasso Apollinem, patrem Tuum, adiisse, & consensu Musarum omnium palinodiam mihi imposuisse. Quis enim nescit Apollinem, postquam a Daphne in laurum versa delusus fuerat, plerasque curas graviores, inprimis mendi, depositas, in te unum omnes derivasse, nedum ut tenericulas illas sororculas, quarum consortio gaudet, mentem ad fastidiosa hæc artis nostræ certamina ac opera, absque nausea deflectere posse unquam credituri simus. Quid quod & Æbius ille Bæbius non

D

debe-

debebat Mercurio, inter Deos utique non postremo, splendore aut dignitate anteponi. Nôstis autem ne quidem nomen istius unquam in tabulis Vestris auditum, neque S^Ctum ad instar Vellejani à Pieridum choro conditum, imò nec condi potuisse aut debuisse. Quid verò stolidius fingi poterat, quam me ipsum quoq; intempestivis accusationibus absque ulla causæ dictione adfensum esse, ac omnia quæ orbis hodieque legit ac admiratur, incogitanter revocasse, culpam denique cujus mihi nullatenus conscius sum deprecatum fuisse. Quin cuncta isthæc vanissima meridianis deliria vobis denuò attestor & singulis contradico, quæcunque honori famæque honorificæ partæ contraria ab illo sunt prolata. Neque vos senis illius contentionis studium & peryicacia latere potest, cujus apud me veniam facillimè impetrare potuisset, si conviciandi libidine, quâ me subinde ambitiosum & jactabundum traducebat abstinere maluisset. Hujus sanè ab alio quam ipsomet certiùs validiusque testimonium non poteritis accipere. Cùm enim per venas venosum sanguinem in arterias transire dixisset, vicissim ajebat arteriosum quoque in venas refundi, & tamen vetustissimam tuam sententiam, ô Hippocrates, de circulari sanguinis motu recentiorum operâ redintegratam pluribusque experimentis firmatam tanto odio prosequabatur, ut Guil. Harvejus, quem
non

non piguerat relictis domi Britannis suis, toto Orbe
divisis, in Germaniam proficisci, & illius quoque ad-
fensum exquirere, nunquam tamen impetrare potue-
rit. Sed nolo causas obstinationis istius prolixius
mirari, quando satis probabile est, non aliâ quam am-
bitiosâ quadam invidiâ id factum, ne cogeretur plu-
rima olim scripta aut absorbere aut retractare, aut de-
nique tædiosè correctâ interpolare. Sed hæc quoq;
transire patiamur. Id unum superest, P. C. ut satyri-
cam illius petulantiam senili morositati, dispari sanè
atque propemodum monstroso conjugio sociatam,
(quam ipse sibi dudum ab aliis objectam fatebatur,
qui ἰδιογνώμωνα ipsum, δύσκολον, φοβερὸν, odiosè adro-
gantem, ἥρωνα καὶ σκοπιτικὸν & ad funestas quasdam de-
fensiones ridentem appellabant,) auctoritate Vestra
coërceatis, mihiq; non secus ac vobis omnibus scri-
bendi docendiq; libertatem in philosophia pariter
& Medicina, adseratis. Sic enim cum ipso facilè in-
gratiam redire, & operum meorum, quod jam coepis-
se audio, recensionem ac emendationem haut invi-
tus committere potero. Neque enim tam de erudi-
tione illius minimè plebeja, quam de animo sine cau-
sa infenso, ulla nobis querela aut dubitatio unquam
sollicitos habuit. Ideoque non possum non Vestram
heic fidem opemq; implorare, ut illum reprehensio-
ne industriæ nostræ, & sententiarum, quæ liberæ sem-

per esse deberent, vellicatione, omni denique altercatione, cui adsuevit, abstinere jubeatis, verbis tantum expendendis contentum, quod unicum minus Critices innoxiae & nemini gravis nemo ignorat. Hæc cum dixisset, plerisque visus est, non usque adeo iniqua flagitare. Unde collectis sententiis plerique arbitrabantur edictum de libertate literaria legesque de abrogandis calumniantium studiis & conviciandi libidine renovandas esse, quando illud quorumvis, hoc autem elegantiorum præcipue ingeniorum interesset, ne invidorum malevolentia à doctis conatibus absterreantur. Quibus unanimi consensu omnium probatis Æsculapius hunc ferè in modum disserere coepit: Nihil repugno, sed volo jubeo, hæc ita quam primum fiant. Libertus enim omnibus indulgenda, neque eò quisquam adigendus, ut invitus receptas opiniones dimittat, satis enim inusitatis fuerit, si censorio posterorum judicio alia quidem æternæ aut saltem diuturnæ sanciantur, alia, ut falsæ in rejiculis numerentur, reliquæ ut imbecillæ, incommodæ, temerariæ, aut saltem dubiæ pronuncientur. Nonnullæ tamen duriores atque obscuriores novis experimentis ac explanationibus emolliantur, aut exoletæ quasi postliminio in lucem revocentur. Cujus suprema hæc verba excipiens Hippocrates: Nemo vestrum ignorat, ô mihi cara nomina, quantæ à nostra ætate
artem

artem Medicam vicissitudines fortunæ jactârunt, ut dubitari queat, majoribusne incrementa adaucta, & pænè obruta, an verò detrimentum potius, antiquioribus deperditis, & quorundam sive socordia sive industria alienis sæpius, quam necessariis intenta, passa sit minimè contemnendum. Nôstis enim quot vel ex nostris scriptis volumina hodie desideretis. Plurima quoque non tantum Coorum nostrorum, sed Cnidiorum etiam, & Rhodiorum placita ingentibus tabularum compagibus comprehensa vix unus aut alter quondam existisse commemorat. Nec enim ore tantum & operibus Asclepiadæ nostri suos instituebant, sed pleraque scitu necessaria & utilia fidelibus scriptis consignabant: quæ tamen ne sic quidem perennia durare potuerunt. Quin etiam ex vestris permulta pessundata non ignoratis, quorum vix pauculos versiculos, cum nominum fragmentis, & pharmacorum umbris, verius quam corporibus, Galenus iste suis inseruit, quem audivistis à sene illo tot criminum reum peragi, quot ipse sibi nequidquam conscius, masculâ sanè oratione se excusavit, animosius etiam sua defensurus, si Lugdunensem aliquam aram uterque expavisset. Et sanè vel hoc uno gratias potius quam spongas & pumices merebatur. Nec illi magis, quam pluribus aliis, infensorem me profiteor, quos invidia atque inscitia toties mea ambitiosè

lacerâsse doleo quidem, sed vindicias præclaris ingeniis meique amantibus relinquo : qualia cum nunquam defuerint, neque in posterum defutura sperabimus : Libertas itaque in arte nostra ubique regnare debet, quod Æsculapij decretum utroque pollice probabit. Finieratque, cum qui proximè adsidebant, Aretæus, Aetius, Oribasius, Ægineta, cæterique Græcorum vulgò noti, cum aliis quibusdam, quorum nec nomina apud nos ulterius supersunt, de suis quoque scriptis investigandis ac recoquendis, nonnulla subjunxerunt, quorum ipse non satis memini, tam multa erant, tantaque verborum affluentia prolata, ut omnia memoria complecti non licuerit. Hos autem mox Arabes sermonibus non minus prolixis excepere, de contemptu non tam doctrinæ quam linguæ suæ inter Medicos conquesti, ex quibus illam Græcorum industriâ nihil inferiorem, sæpè etiam puriorem atq; lucidiorem, hanc autem elegantissimam contendebant, ut ea saltem percepta nullam ipsis infamiam Commentatorum stupor atque barbaries deinceps illatura sit. Quæ ut commodius perciperentur, unanimi consensu placuit omnibus, ut Stephano Huberto, Archiatro quondam Regio, & trilingui hac literatura in Medicinæ usu celeberrimo, Oratore & interprete uterentur. Neque rogantes ille destituit, sed adducto in medium amanuensi suo Hadriano Flissin-

Flissingensi, juvene præmaturâ morte Casauboni laudibus & amplissimæ spei erepto, brevi quidem sed adèò ornata oratione, quid in hoc studiorum genere desideretur, exposuit, ut nunquam magis notandis omnibus, Tironis Tulliani, aut Acilij Mæcenatis operam exoptârim. Nam Aufonij ille, cujus manus loquentis linguam velocior præcurrebat, incommodum tunc aberat. Eò tamen spectabant omnia, ut societatem quandam literariam ineundam viris quibusdam doctis atque LL. Orientalium peritis suaderet, evolvendis, emaculandis, & producendis his Arabum, Hebræorum, Syrorum, Persarum, ac Æthiopum thesauris ineditis ac reconditis, non secus ac nuperimè nonnulli in Britannia & Germania, Sacris operati, novisque experimentis faciendis ac illustrandis plerisque Naturæ arcanis laudatissimas curas sociârunt. Quibus addebat nonnulla de Sinensium Historia planetaria, inprimis excolenda, qua lucem ingentem etiam Arabum scriptis de re Medica accedere necesse foret, ab Anglis utique aut Batavis, aut cæteroquin vix aliis expectanda. Neq; in amplissimo illo confesso quisquam, qui contradiceret, repertus est, præter Jo. Franc. Rotam, & Argenterium, quibus deinde Leonardus quoque Fuchsius se adstitit, Arabicæ literaturæ acris nec ignobilis hostis, cum aliis quibusdam longè minoris existimationis, ut quibus asperitas dictionum præci-

præcipuè displicebat, quas distorto ore exsufflandas
sonoque horridas, ex imis faucibus quasi exantlian-
das calumniabantur, & Græcorum transcriptio in
argumentum despiciatus adsumebatur. His tamen
omnibus tempori Hubertus occurrit, mollitiem au-
rium Græcarum non sine modestia increpans, & hæc
talia frustra socordiae prætenfa, nonnisi ab ignorantibus
in odium proferri, aut saltem insuetis minus ele-
gantia videri, quæ tamen majori orbis habitabilis parti
præ multis aliis, nequidquam delicatioris pronun-
ciationis, pulcerrima judicentur. Jamque dicendi fa-
cultate insigni, qua pollebat, eò rem deduxerat, ut
omnes omnino linguas docendæ ac discendæ salutari
scientiæ commodas, inprimis tamen ternas illas, La-
tinam, Græcam & Arabicam, nulli Medicorum ele-
gantiorum ignorandas, plerisque adsentientibus evin-
ceret. Magno certè subsidio futuras, si per singula
artis genera reformatio institueretur. Aderat enim
qui rationem de restauratione ex Germania acce-
ptam, PP. perlecturus erat, ut quid de modo ac ratione
commoda statuendum foret, maturis deliberationibus
dispicerent. Pauca enim pagellæ erant ideoque au-
dire omnibus placebat. Eò autem tendebant omnia.
Sollicitandos Imperij Romani proceres, ut publicis
conventibus hac de re colloqui non gravarentur, &
certi quidpiam sciscerent, quod deinde Medici eruditi
ulte-

ulteriori operâ prosequerentur. Eligenda nimirum ex omnibus sententiis optima quæque axiomata, & remedia experientiâ probatissima, tam Universalia quam particularia, comportatis auxiliis, in unum systema Harmonicum, & perfectum corpus, in usum totius orbis efformanda, ut istis deinde, tanquam legibus, aut fundamentis, & principiis, quæcunq; obvia, seu condemnare, seu absolvere, admittere, ac promovere, vel etiam rejicere, impedire, & abrogare liceret: Exemplo à fastorum renovatione adjecto, quam nemo necessariam fuisse unquam negare ausus sit. Haut levi omnium attentione hæc audita sunt. Plerique tamen impossibilem, nonnulli etiam iniquam, & absurdissimam ejusmodi interpolationem pronuntiabant: Cæteri etiam periculosam, quando illam Calendarum novationem tot turbas dedisse nemo ignoret. Inprimis Petrus Trevirensis, qui olim Archiatrus Com. Henrici Lucelburgici, tum Imperatoris, & postea Elector Moguntinus, Regniq; Boëmiæ administrer, non tantum Medicinæ, sed Juris quoque prudentiâ, ingentem laudem, & sacras istas profanasque fortunas meruerat, Bertholdi, Principis Hennebergici recordatus, quem regiminis socium, ut Bibulus quondam Cæsarem habuerat, ne idem deinceps in Medicinalquoq; fieret, & unius arbitrio omnia dependerent, sive ut vetus verbum habet, unius Calopodio omnia

E metiri

metiri cogeremur: si Medicina, inquit, in illo artium aut scientiarum numero reponenda esset, quibus æterna quædam principia, & indubia fundamenta publicis auctoritatibus apta contigerunt, totus in istam restorationis sententiam pedibus concederem. Nunc adeo nihil minus eidem convenire videtur. Nostis enim quantum in Jurisprudentia digestorum collectio, Justiniani Imperatoris cunctis potius, quam jussu, & paganâ Triboniani panurgi opera querelarum & litium, ac denique detrimenti attulerit? Certè qui titulos saltem legum inspexere, primo intuitu haut difficulter intelligunt, quantam optimorum scriptorum stragem atque internecionem indigesta illa excerptorum moles ediderit. Nec minor culpa Constantini Porphyrogenetæ, in historiarum tot monumentis abolendis, per themata historica & politica, è quorum numero ipso, quinquagenarium superante, vix tria hodie supersunt. Idem profecto de medicina sperandum foret, si maximè cogitata succederent, ut constitutis etiam Pandectis, non minor tamen deinde circa verba & reliquas circumstantias dissensuum & altercationum materia superfutura esset, quam hodie inter Jurisperitos diversissimis sæpè sententiis ac expositionibus agitari, illi maximè sentiunt, quibus fora calfacere, & tribunalia adire necessum est, magno plerumque temporis & pecuniarum prodigalitate, cui

cui non minus aliquis titulus de tutelis & curatoribus implorandus erat, quam ætate nondum sapientibus aut furiosis. Quid quod in Medicina nihil tale præcipi queat, sed ingeniis & judiciis, prudentiâ instructis rerû successus relinquendi sint, occasionibus captandi? Et quis sollertiam curiosorum tam rigidâ definitione inhibendam, conatusque non tantum Anatomes, nostro utique sæculo mirè felices, sed etiam Botanices, seu potius Philologices, Chemicæ, & Therapevtrices, uno quasi ictu prosternendos, aut saltem sufflaminandos probârit. Ne quæso istas ignobilium, inertium, & plebejorum ingeniorum latebras unquam admittire. Quin potius, ut potentium ac locupletum virorum favore & munificentia quam plurima abdita perveſtigentur, expoliantur, producantur, operam navate. Sed neque syntagmate ejusmodi satis cavebitur, quin etiam in posterum nonnulli inexperti, & eruditionis minus amantes, politicis tamen, ut putant, artibus suis, seu verius calliditate quadam dolosa, & fraudulenta utantur, quas verè, Tu Cardane (Nam hic quoque aderat cum patre suo à spiritu quodam paredro adductus) quondam mirificis quibusdam salutationibus, cavillationibus, conſpirationibus, gratia potentiorum captanda, conviventionibus, & sexcentis ineptiis pariter & nequitiis perfici ajebas, feriis literarum amœniorum solidiorumq;
E 2
studis

studiis desertis. Nec tamen propterea impediendum
ne viri doctrina & ingenio illustriores, de reforman-
dis quibusdam hypothesibus, effatis, & opinionibus,
cogitationes seriò jungant, & quæ invitis Gratiis ir-
repsere, eliminant, ac exterminant, melioribus & ac-
curationibus substitutis, de quibus ut Verulamium
audiatis, quotquot adestis, vehementer obtestor.
Quamvis enim Medicus non esset, commodum tamen
acciderat, ut eo ipso tempore cum civibus quibus-
dam suis nuper advectis colloquuturus regni que sta-
tum patrium exploraturus accesserit. Non opus erat
ut multis precibus aut blanditiis ad dicendum adige-
retur. Philosophiæ enim omnigenæ studio addictis-
simus, non tantum literarum rerumque scientiis com-
prehensarum, sed agendarum quoque callentissimus
erat, pauca in honorem præfatus, istas inprimis Me-
dicinæ partes, ceu derelictas, minusque excultas, ul-
terius exornandas monebat: Cosmeticen, non vanis
aggyrtarum aut vetularum promissis, sed usu & experi-
entiâ indigentem: Athleticen: Voluptuariam: vitæ
prolongationem: experimenta particularia & genera-
lia: curationes morborum insanabilium: *ἐν Σαυδαρίαν*,
non illam ab animo expectandam, sed corpore etiam
procurandam, qualem Augustus Cæsar sibi optave-
rat, & hominis obæratissimi, nulloque nominum metu
lenissimè expirantis pulvino obtinere non poterat.
Philo-

Philosophiæ item veræ activæ revisionem pro fundamento Medicinæ, & adnotationes curationum Medicinalium frequentiores fideiioresque, & denique Medicinæ universalis examen atque possibilitatem commendabat: Ut quibus profectò totius Orbis ingenia occupari possent, si quisquam vel modicam istorum partem sibi deposceret, aut jubentibus quorum interest, desumere cogeretur. Nam & hoc addebat haut vulgaris considerationis: si Magistratus & Principes Archiatri & Poliatri suis ubivis locorum, honestum quoddam stipendiorum augmentum, & laborum præmia pro meritis constituerent, ut observationes curationesque non tantum rariores, sed etiam frequentes & utiliores sedulò adnotare & publicè exhibere tenerentur, paucorum añorum spatio tantam Medicinalis experientiæ accessionem sperari posse, quantam nunc quidem nemo facile crediderit. In primis si recentibus inventis Naturæ cursum, & remedia sanioris Chemiæ legibus admetiri non omitterent, atque in cæteris literarum, atque linguarum studia cum vet. consensu non planè adspernarentur, agyræ autem & vani pollicitatores, indocti, audaculi, inexperti, à benè constitutis Rebuspubl. excluderentur, & relegarentur. Hæc illo prolixius differente, discere occæperat, quod nocturni cœtus dissolvendi tempus ibidem observari solet. Satis iccirco ajebat

Æsculapius, de istis, hoc confessu, qua singula ratione institui & promoveri queant, videbitis, cogitabitis, & quamprimum deinde referetis. Ita concione mox dissoluta omnibusq; ad sedes suas delapsis, Morpheus ad me conversus: Eamus nos quoque, ait, nam quod heic ultra agatur, nil superest, videsque diem jam illuxisse, quo nemo his locis deprehendi debet, nisi poenas imprudentiæ dare voluerit. Nec ego reluctatus cum ad portas devenissemus, Virgilij denuò recordatus, attentius præstolabar, quâ tandem redituri essemus? cum manu arreptum per corneam me deduxit. Cui ego: atqui, inquam, eburneâ Æneam Sibylla reduxerat, & cur non testudinea, quâ venimus, regredimur? Non licet, aiebat, eadem ire & redire, velimque te istas non fabulas, sed verissima & utilia existimare, quibus deliberationem aliquam impendas. Quid verò, pergebam, cujus gratia huc vocabaris, cur alto silentio involvebatur? nec ipse verbulum proloquutus, aut ad dicendum invitatus fueras? Id quidem, respondit, dilatum scias, & poteris tùm nobiscum ad comitia redire. Sub ipsum autem portæ egressū jucundus nobis adspectus se obtulit. Utrimque enim ad rivuli margines arbusculæ confitæ, præter salices vulgares, etiam coryli, genistæ, & laburna, dependentibus, & circumsalientibus simiis refertissimæ, quæ miris formis & gesticulationibus alij quidem cau-

caudati, aliæ semivulpes, alij gymnopyges, & pauci quidam barbatissimi atque ingentibus herniis deformes, nonnulli etiam strumosi, & rictu ranarum in modum latissimo gannientes, ac propemodum coâxantes risum excutiebant. Subsistens igitur quendam ex illis præ cæteris suspiciebam longissimis cruribus minuscule alteri valgis morsiunculis colludentem, cui auriculæ planè lepusculares erant. Et hic subinde desultorius colutheas omnes, quotquot aderant, foliis vesiculisque suis depauperans, in proximam scrobiculam, annonam hibernam congerebat, quam subinde advolantes curruæ & fringillæ stercorariæ, subreptis granis minuebant, deinde villarum tectis insidentes, oborto mox alvi fluxu parietes gurgustiorum, pictasque tabellas in suggrundis omnes, quæcunque umbellis carerent, liquidissimis & biliosissimis foriis defœdabant, atque mox exanimis in terram decidebant. Ad Morpheum igitur conversus quærebam, an hæ Insulæ Pithecusæ essent? & quid sibi in universum hoc spectaculum vellet? Cui ille festinatis sermonibus: Hæc, inquit, Cercopum regiuncula est. Quotidiè enim homines fraudulentis, inepti, histrionici, agyræ, & circumforanei, in simios conversi, cum olim inter Medicos locum quæsivissent, Sc. to unanimi campis, quos vidisti, beatioribus ejecti, extra portas hunc in locum compelluntur, & intra septa
agrestia

agrestia conclusi oberrant, imitationibus ludicris ad-
sueti, quisque vestigia servat eorum, quæ olim hu-
mana specie peregerat: Quidam igitur alternationi-
bus puerilibus & conviliationibus deditur, etiamnum
dentes cum simiolis exacuunt: alij violentiores plan-
tas illas etiam à corporum mutatione congerunt, qui-
bus vitam plurimis mortalium eripuerunt, aut papi-
liones & scarabæos venantur, aut vermiculos in fabis
quærunt, ex quibus olim aureas quasdam, ut voca-
bant, essentias adjecto plurimo argento vivo confe-
cerunt: alij promissas barbas suas lappis depectunt &
comunt: alij partes à tergo tithymalis deglabrant, ut
volſi ludij appareant: nonnulli ex rhamnis baccas
colligunt, quibus palæstritæ colorarij utantur: Ille
verò, quem clitellis onustum vides, latices ex rebus
omnibus elicere & venditare solitus, paullatim sic ad-
sueſcieri cupit, ut si mulus aliquando, quem quidam
in signifero, ut nôſti pro aquario depinxit, ad inge-
nium suum reversus officium detrectaret, aut saltu
fortè incondito cervice fractâ cœlo excideret, ipse in
illius locum subiret, astrisque sitientibus frigidam
largissimis urnis suffunderet. Nec aliam ob causam
pavonibus adstant duo alij, quam ut pro illis aliquan-
do in cœlo gemini fiant, si cæteris Apollinis & Hercu-
lis vices gerere non adlubesceret. At ille, qui siliquas
peregrinas contabulat, olim se Cassiopeam fore spe-
rat,

rat, non minus Ægyptiorum mysteriis aptum, quam canem in filiquastro depositum: aut vitulum marinum Andromedæ facie, cujus gratia vicinus phyluras contextit, quibus ad scopulum religari queat. Illi denique quos majori numero certatim spicas vellere cernis, omnes persuasi sunt, se aliquando Virgines evafuros, cujus fidera non nescis medentibus præcipuam fortunam polliceri. Sed isti omnes sublimia nimis mente agitant, modestiores sunt, qui terram unguibus effodiunt, & in arenis aurum quærunt, quod olim in furnis amiserant. Miror, inquam, cur illos intra urbem pati nolint, cum lepidissima animalia sæpius viderim in Regum quoque aulis versari, non minus certè elegantis & acuti ingenij, quam pafseres Catulli, & catellæ Lipsij. Imò verò respondit Morpheus, hanc ipsam ob causam non tolerantur, ne seria Patrum consilia blanditiis mimicis interturbent, & ne Galeno in prædam cedant, qui membra illorum deinde dissecta pro veris hominum corporibus inspicat, & describere non vereatur. Atqui, inquam, nonne vidisti Senecionem cum ovis, etiam gallos juvenculos & gallinas apportantem? quos tamen olim homines Platonicos Diogenes deridebat, postquam levi negotio deplumati essent. Et cur Galeno ipsi concedunt porcos in caula sua alere, quam habet latissimam, & quorum carnibus tantoperè delectatur?

Cū tamen Carpus, & Grunniones quidam nihil si-
milis humano corpori quam suillum ostende-
runt? Nec plura loqui poteram, quia Morpheus pro-
perans audire pariter, & ad interrogata respondere re-
cusabat. In ipsa tamen septorum porta inscriptione
legisse memini CP. i. translata, & Constantini
Magni manu exarata: ΓΑΛΗΝΟΥ ΘΗΡΙΑ ΕΝ
ΤΟΙΣ ΑΡΤΟΠΟΛΑΙΟΙΣ ΠΟΡΟΙΣ: h. e. GALE-
NI BESTIÆ: IN FORO, QUO PANIS
VENALIS EST. Mox inde ad fluvium mayo-
rem pleno alveo decurrentem regressi navicula traje-
cimus, cū ego, quia valdè sitiebam, ad Morpheum:
sine me, obsecro, aiebam, ut arentes fauces hac lym-
phâ proluam. Non permitto, respondit: Securi
enim latices sunt, quæ longa oblivia gignunt, tibi ne-
quidquam profutura. Ac dicto citius domum rela-
tus postquam cœnaculum, quo primum me conve-
nerat, conscendissem, ad libros meos reversus, celer-
rimè se per posticum proripuit. Nos quoque salu-
te invicem dictâ quisque ad suos rediimus, Liberio
per viam subinde hos versiculos ex Marone mihi, &
Vindiciano, ingeminante:

*Excudant alij spirantia mollius æra
Credo equidem viros ducent de marmore vultus,
Orabunt causas melius, cœlig, meatus
Describent radio & surgentia sidera dicent,*

Tu regere imperio agrotos Jocunde memento.

Ha tibi erunt artes, morbisq; imponere morem.

Nec tu despicias agitare inglorius illas,

Quantumvis mutas, curam sua fama loquetur.

At Vindicianus domi suæ vix ad quietem composi-
tus, lecto exfiliens ad Jocundum & Liberium recur-
rit. Metu perculsus uterque tam properâ reversione,
non expectatis quæ dicturus erat, si quid fortè mole-
sti accidisset, alternis interrogabant. Sed ille hilari
fronte securos esse jussit, simulq; volumen ex linteo
protulit cerato, in quo vetustâ Græciæ consuetudine:
DESIDERATA MEDICINÆ: inscripta erant, in primo
inquiens, limine, quod vix attigeram, hærebam, cum
Morpheus ad me concitatissimo cursu regressus ob-
lato isthoc, quod videtis, volumine: En tibi enume-
rationem, ajebat eorum, quæ proximo conventu ple-
nius ventilanda erunt: Lege: considera: & si quid
monere velis, dispice. Nec enim nunc diutius heic
consistere possum. Amicis etiam fac copiam: licet:
imò omnibus in publico exhibe, si lubet. Id eò ma-
gis gratum fuerit Æsculapio, si Reipubl. Med. aman-
tes omnes sententias suas liberrimè exponant, & me-
moratu digna superaddant. Non potui, ajebat Vin-
dicianus, quin id Vobis statim significarem. Nec
mora: spes utilitatis adeò omnium animos perstrin-
xit, ut mox in porticu, qua paullò ante apud Jocun-
dum

dum convenerant, denuò considerent. Verba autem Vindicianus ex epistola clara voce recitabat.


ÆSCULAPIUS
UNIVERSIS MEDICINAM PROFESSIS
ἐν ἀγῶνι.

Postquam deperditis nostris omnibus, & qui à nobis proximè vixerunt, Asclepiadarum commentariis, multa Medicinæ necessaria decesserunt, hunc Indicem confici & distribui jussi, ut quisque de revocandis, investigandis, restituendis, emendandis, excolendis, addendisq̃ue desideratis cogitare possit.

Quod omnes jubeo quam primum
 faciatis. Valete.




DESI-




DESIDERATA MEDICINÆ.

- I. *Jatrographia sive Index Universalis MSS. Med.*
- II. *Critica Medicinalis, revisio auctorum vett. Græc. & Latin. ad fidem MSS.*
- III. *Inedita Arabum & Orientalium.*
- IV. *Deperdita Medicinæ restituenda.*
- V. *Lexicon polyglotton Med. Theor. Practicum.*
- VI. *Vitilignes Scriptorum Med. expurgata.*
- VII. *Chronologia Med. universalis.*
- VIII. *Historia Medicorum Græc. Lat. & Orient.*
- IX. *Favisse Medicinæ s. Fragmenta vett. Med.*
- X. *Conciliator Med. omnium controversiarum universalis.*
- XI. *Epoche Medicinales sive hypotheses nondum adsertæ.*
- XII. *Apotelesma Physicum, ad usum Medicinæ.*
- XIII. *Meteorologia vett. & rec. in systema redactum ad usum Med.*
- XIV. *Chorographia Medicinalis.*
- XV. *Astronomia & Astrologia Med.*
- XVI. *Historia Zoophytorum.*
- XVII. *Historia animalium Aldrovandina contractior & Jonstoniana auctior.*
- XVIII. *Historia plantarum exoticarum, Orientalium, Africanarum, & Americanarum.*
- XIX. *Theatrum plantarium Universale, Baubiniانو auctius & accuratius.*



- XX. *Historia particularis plantarum Sinensium.*
XXI. *Apotelesma Anatomicum Theorico Practicum.*
XXII. *Zootomia systema.*
XXIII. *Phytotomia nova.*
XXIV. *Anthographia seria, ludicra opposita.*
XXV. *Ostracographia absoluta.*
XXVI. *Idæa Pinacotheca Physico Medica.*
XXVII. *Phytemphyta s. historia viscorum.*
XXVIII. *Semiotice ad nova experimenta reducta.*
XXIX. *Oryctopanax universalis.*
XXX. *Systema Metallurgie.*
XXXI. *Clinice in artis formam reducta.*
XXXII. *Nosologia plantarum & animalium ad diateticen.*
XXXIII. *Endyematice Medicinalis.*
XXXIV. *Taricheutice Medicinalis.*
XXXV. *Myresice vett. & rec.*
XXXVI. *Cosmetice vett. & rec.*
XXXVII. *Coronaria vett.*
XXXVIII. *Phyteutice erudita.*
XXXIX. *Georgice scientiis adfinibus exculta.*
XL. *Pemmatologia vett. & rec.*
XLI. *Zytbesice & Oenoptice vett. & rec.*
XLII. *Magirice & Opsarytice Med.*
XLIII. *Catoptrice Medicinalis & Astronomica.*
XLIV. *Gymnastice vett. & rec.*
XLV. *Baphice Medicinalis.*
XLVI. *Cteniatrice in artis formam reducta.*
XLVII. *Spaniopanax experimentorum universalis.*
XLVIII. *Medicina Sinensium.*
XLIX. *Systema perfectum materia Medica.*



- L. *Nosorrhopia accurata.*
- LI. *Historia Chemiae ad scientiam & usum, & Acta laboratoriorum.*
- LII. *Apotelesma Chirurgiae vet. & rec.*
- LIII. *Uroscopia critica, ab ineptiis liberata.*
- LIV. *Statismognostice vet. & rec. universalis omnium gentium.*
- LV. *Apotelesma Pharmaceuticum.*
- LVI. *Thermographia universalis.*
- LVII. *Diaria Nosocomica Poliatrorum.*
- LVIII. *Epidemia variorum locorum.*
- LIX. *Empirica nova, quæ formam & quæ historias.*
- LX. *Euthanasia Medicinalis.*
- LXI. *Hyperemeria Medica.*
- LXII. *Euzoice Medicinalis, Hygieæ socia.*
- LXIII. *Aniatospudasmus de curatione incurabilium.*
- LXIV. *Mechanice & Organice Medicinalis.*
- LXV. *Therapeuticum Universale.*
- LXVI. *Sympecticum & Dialyticum Universale.*
- LXVII. *Historia petrificationis accurata.*
- LXVIII. *Pandectæ Med. vet. & rec. Theor. Pract.*
- LXIX. *Spodemica Politico Medica.*
- LXX. *Dynamidia plantarum præterita & inaudita.*

F I N I S.

Augustus Caesar
apud Senecam de brevitare vita. cap. V.

Ista fieri speciosius, quam promitti possunt : me tamen cupido temporis optatissimi mihi provexit, ut quoniam rerum lætitia moratur adhuc, præciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.

3.
N.
2.
4.

